



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Corpus Doctrinæ Christianæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiæ, 1572**

**VD16 M 2890**

Symbolvm Athanasii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

S Y M B O L V M  
ATHANASII.

Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem:

Quam nisi quisque integrum in uiolatamq; seruauerit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem Catholicæ hæc est, ut unum Deum in trinitate: & trinitatem in unitate veneremur:

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.  
Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus:

Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: Sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus:

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus:

Et tamen non tres Dii sunt: sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus filius, Dominus Spiritus sanctus:

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut, singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri, Christiana veritate compellimur:

Ita tres Deos aut tres Dominos dicere, Catholicæ religionem prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus: sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Ita, ut per omnia, sicut iam supra dictum est, & trinitas in unitate, & unitas in trinitate veneranda sit.

Qui

S Y M B O L U M A T H A N A S I I.

Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi, fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus

noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex

substantia matri, in secula natus.

Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & huma-

na carne subsistens.

A Equalis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum

humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Chri-

stus.

Unus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed as-

sumtione humanitatis in Deum.

Unus omnino, non confusione substantiaz, sed unitate personaz.

Nam sicut anima rationalis & caro, unus est homo : ita Deus

& homo, unus est Christus.

Qui passus est pro nostra salute : descendit ad inferos : tertia

die resurrexit à mortuis :

Ascendit ad caelos : sedet ad dexteram Dei patris omnipotens.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum, omnes homines resurgere habent cum

corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala,

in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq;

crediderit, saluus esse non poterit.

T Y P O .